

11, 29

Vc
4439



II, 99.



II, 99.



61



Auctor hujus scripti carcere mancipatus, typogra-
phus flagellis fuit caesus. Conf. Voigt. catal. libr. rar.
A teste S. Engel Biblioth. select. p. 85. liber
rarissimus et suppressus.

NB. Sub Crasno Irenico verus auctor Isaac Wol-
mars latet

BIBLIOTHECA
GALLO-SVECICA

SIVE,

SYLLABVS

OPERVM SELECTORVM,

QVIBVS

GALLORVM SVECORVMQVE

Hac tempestate.



BELLI proferendi,
PACIS euertendæ,

STVDIA:

Publico exhibentur.

ERASMVS IRENICVS collegit.

Accessit Prologus

AD CONCORDIAM GERMANICAM Adhortatio.

VTOPIAE.

Apud V DONEM NEVINEM.

VICO VBIQUE

Ad insigne VERITATIS.

HOC ANNO.



v. 342

BIBLIOTHECA
GALLO-SVEVICA

Quicquid agunt Hostes: Vis, Fraus res Martis &
Artis,
Effugium Pacis: nostri est farrago libelli.




Apud V. DONEM NEMINEM.
VICO V. V. V.
AD IANUAM VERITATIS.
HOC ANNO.





LECTORI.

 Visquis hæc ledis, si civis es meus, id est Germanus, aut Germanici nominis studiosus, siste paullum, & huc animum ad ea, quæ proloquor, aduerte. BIBLIOTHECAM tibi damus, seu verius BIBLIOTHECAE Indiculum. Monumentorum, nempe selectiorum, quæ hisce temporibus scripta, non scripta, edita, non edita. Ab Hostibus, vel de Hostibus sunt omnia & verè possum dicere, Nihil Materia ab illis, à nobis forma, nouo quodam scribendi genere concinnata. Duarum gentium validissimarum facinora præclarè gesta, hic congesta sunt, sed ea quoque quæ non gesta, & non nisi cum scelere gerenda. Ferro scripta sunt quàm plurima, sanguine rubricata, cœdibus cuulgata. Latent alia, lucem expectantia, & si Deo placet, nunquam visura. Cuncta ego calamo & chartis commisi, & opusculo hoc, quasi pacis Bellique Breviario sum complexus. Quæ palam, quæ armis confecta, toti orbi nota sunt: quæ clam & occultis consilijs, opprimendæ patriæ nostræ conficiendæ, ea cognosci quoque, quàm maximè interest. Publica forsitan & illa sunt: sed ut magis publica sint, Syllabo hæc, nundinali quasi tabellâ, repræsentato. Eâ de causâ per omnia vbique studia peruagatus sum. Bibliothecas omnes excussi, sed & ipsa secretiora partium tabularia perscrutatus sum, quæque ad rem spectare visa, capitibus strictim annotatis excerpta, seruato Alphabeti ordine, in corpusculum hoc redegi. Sed quorsum, inquires, Hic spectat labor? Eò sane ut cognitis hostium studijs, tua & popularium meorum studia iuarem. Indicis partibus functus sum, ut tu Iudicis expleas, quidque & à quo cavendum sit, cognoscas. Profectò nō iniucundam tibi bonisque omnibus, cogitationem hanc credidi, hoc præsertim tempore, quo Dei Opt. Max. munere tãdem de Pace agi posse, est cōcessum. Vtinam ad veritatis visum esset, tam serò, quam serò, viam istam ingredi: neque Colloquij specie, re autem

4.
factionum, nobis sibi que ipsis fallaciam facerent. Etenim satis super-
que comperit est, illos non modo remoras omnes, sed & cuncta,
quam maxime Paci aduersantia meditari. Haecenus aperto Marte nos
aggressi sunt, nunc Arte operata insidias struunt, & rei sanctissimæ si-
mulatione (prò facinus!) pulcherrimam Imperij molem, latentibus
cuniculis student conuellere. Pugnare, bellare, hostilia agere, Hostium
est, Belli componendi obtentu, peiora bello agitare, perfidorum. Nus-
quam gentium simile quid auditum, nisi apud Poenos fortè aut Maho-
metanos, quorum illi quibuscum bellamus, aut Succedanei, aut Socij
Majores nostri, Virtuti omnia prona esse docuere, jamque olim apud
Tacit. (Anno. 13.) exclamarunt: NVLLOS MORTALIVM, ARMIS
AVT FIDE ANTE GERMANOS ESSE. Nos degeneres (pudet dice-
re!) Bello nos vinci, & Pacis illecebris circumueniri, inermes & incau-
tipatiemur? Si animus adsit, vires non desunt. ambigua si diuisa, ac res
si coniuncta. Nos vnus populus, vnus sanguis sumus, nos gentiles, nos
cognati, nos fratres. Si testiculi vena vlla paterni in nobis adhuc viuit,
cur non Vnitate & Concordia, verè Germana, conatus spesque hosti-
les praeuertimus? Animis armisque sociati: Membris in corpus vnum
sub vno Capite (vnicum discordantis Patriæ remedium) dulci Har-
monia compositis, & libertatem, quam nemo bonus, nisi cum vita si-
mul amittit, retinebimus; & Pacem, bonum secundum libertatem
optatissimum, recuperabimus. Finio, & Authoris, quem memoravi.
(Annal. 4.) verbis votum addo, ET SOCIOS, CIVES, ET DEVM IPSVM
PRECOR. HVNC, VT PROCERIBVS QUIETAM ET INTELLIGEN-
TEM MENTEM DVIT. ILLOS, VT CVM LAVDE ET BONIS RE-
CORDATIONIBVS NOMINIS SVI FAMAM PROSEQVANTVR.

Anna-

f. 5
I.

ANNALES TRACTATVVM PACIS, siue, Relatio
eorum omnium, quæ pro Pacis Generalis
colloquio, acta, gesta sunt, cum rebus eò
pertinentibus. In XII. volumina propter amplitu-
dinem, ad instar Oceani Iuris, distributa.

Primum complectitur Præludia, resque Prælimi-
nares, ab Anno MD. CXXXVI. inchoatas, ac tandem
Hamburgi, exeunte Anno MD. IC. CXLII. compositas
Opus tripartitum, de Locis, Tempore, & Litteris fi-
dei publicæ, seu vti vocant. Salvis Conductibus.
Gesta Sexennij Dimidio temporis, feriis in honorem
Martis, extra ordinem indictis, facile transacto.

II. Ratificationes Conuentionis Hamburgensis,
& Diplomatum commutationes Gesta biennij.

III. Legatorum congressum, & legitimationem:
Mandatorum editionem, emendationem, nouam-
que Plenæ Potestatis formulam. Nouem circiter
mensium gesta.

IV. Propositiones Pacis, die condictâ à Cæsa-
riam & Hispanis editas. Magni ædificij fundamen-
ta solida.

V. Postulata Gallica & Sæcica, seu noua Præ-

6
liminaria Cæsarianis exhibita, cum eorundem Re-
petitione, Responsione, Replicâ & Duplicâ.

VI. Quæstiones de Nominibus & Titulis, for-
mulas dictionum, Ciuilitates morum. Ingressûs &
congressûs, & salutationum solemnities. Inanes lega-
tionum apparatus.

VII, Ambiguitatum, Dubiorum, Cautelarum,
Captionum, Cauillationû, Tricarum, Technarum,
Stropharum, Ludificationum, Dilationum, Prote-
lationum, Procrastinationum, Reseruationum, Si-
mulationum, aliarumque huiusmodi rerum ac ver-
borum farraginem, Collectoribus Pratifontio, &
Milone, à Secretis Legationum.

VIII. Acta Legationis, seu veriùs, Ancillaris se-
quelæ, Lusitanicæ & Catalaunicæ. Titulus specio-
sus, & magni fastûs inscriptio: Præterea nihil. Folia
vacua, magnis hiatibus plena.

IX. Responso Gallica, ad Pacis propositiones ab
Hispaniensibus editas. Plurimum mensium ac coitio-
num foetus adu. eriaus, quæque sequuta sunt.

X. Priori cohærens Antiquarum Læctionum li-
bros continet, vetera Regum Gallicæ aut Clientum
jura

7
jura non jura, in Regna quædam Italiae, Belgicæ
Principatus, etiam ipsam Senensem Ditionem, jam
dudum sepulta, aut pactis publicis oblitterata. Eruta
ex sacrosanctæ Antiquitatis tabulis, situ ac vetustate
corruptis, productis è latebris Scrinij Regij, & Sa-
baudicæ, Mantuanæ, Lucemburgensis, Tremoliæ,
aliarumque familiarum Chartophylaceis.

XI. Volumen, ut diutissime, & flagrantissime
à Germanis desideratum, quadripartitum est. De
Amnistiâ. De Restitutione. De satisfactione. De Af-
securatione. Tardæ incudis fabrica.

XII. Et vltimum. Auræ Pacis Capitula Opus,
centum millium votis, suspirijs, lachrymis expeti-
tum. Dabitur fortè ad Kal. Græcas futuri sæculi, cu-
rà Nepotum. Omnia cum testimonio Præsentium,
Absentium, & Futurorum.

Addita sunt, Diaria Pacificationum sæculi supe-
rioris, nempe Matritianæ, Cameracensis, Crepiacæ,
Castelli Cameraciaci, & Veruinenfis Quarum ali-
quæ bimestri, aliæ trimestri, omnes semestri confe-
ctæ. Prostant omnia, postremo volumine excepto,
Irenopoli, vrbe vtrâque, in Officina Franco-Gothica.
Ad insigne Leonis & vulpis.

II. Au-

AVSTRASIAE REGNUM, postliminio restituendum.
De eius antiquis finibus & amplitudine, extendente se ad totam regionem illam, quae est inter Rhenum & Schaldim; & Heluctios, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Menapios, Treucros, Tungros, Eburones, Vbios, Sicambros, Atuaticos, Pleumolios, Mediomatrices, Leucos, Sclabos, aliosque; Populos complectitur. Comprehensis etiam ciuitatibus, quae Rheni ripae, qua Galliam aspicit, proximae sunt; Constantia, Basilea, Argentorato, Spira, V Vormatia, Moguntiaco, Colonia Agrippinae, aliisque.

Subiuncta est Series Regum Austrasiae, à Merovingis, qui Francorum Regnum condiderunt, jam inde petita; & per Carolouingos, ac plures quidem nothos, Lodouicum, Carolomannum, & Arnulfum, deducta; vsque ad Othonem I Henrici Acupis F. qui Regnum illud diuisit, maiore illius parte Lotaringie Duci, Imperij beneficiario, attributa, nemine ex Capetiana stirpe, cuius hodie Galliae praest, in ea cognito.

Supplementi loco accesserunt, Caroli Sigonij de Regno Italiae lib. X. addita Dissertatione, an Regnum Italiae, quod à secundae Regum Galliae Familiam iam

97
liâ jam olim processit, hodie quoque Iuris sit Gallici:
Prostant vrbe Regiâ, Metis, sine metâ, in officinâ Ia-
cobi Cassani, ad in signe Galli Gallinacei gemmam in ster-
quilinio quæritantis.

III.

AVSTRIACAE DOMVS conuellendæ, aut atterendæ
Molimina. Eruta ex secretiore serinio Richelia-
co & aucta scholijs Mazarinicis.

Adiecta, Beneficia & admiranda Gentis Austria-
cæ, in arctis dubijsque rebus diuinitus concessa: cu-
jus fortuna semper magna, & in malis maior. De-
scripta à P. Guilielmo Laimormani, è Societate Iesu.

Addita quoque est, Explicatio Symboli, quo Fri-
dericus III. Imp vtis solitus A. E. I. O. V. Austria erit in or-
be vltima Viennæ Austriae. Ex officinâ Palmariâ, viâ, cui
nomē Nescit Occasum. Sub Imagine Pietatis & Iustitia, Cum
Symbolo: Fulcimina Regni.

IV.

DE BENIVOLENTIA Regis Christianissimi erga Ci-
uitates Imperiales & liberas: Parænesis, scriben-
te Adulantio Pseudolo.

Accessere Tabulæ earumdem Ciuitatum, cum
formis arcium eis imponendarum, ac figuris æneis
delineatis Metis, ingenio Io. Fabert, Regij Machi-
narum

B

16

narum Architecti, Urbis & Arcis Sedanensis Præ-
fecti.

Subjuncta Meditamenta, Urbium præcipuarum
Imperij, Galliaë maximè congruentium, in Munici-
pia (lege: Mancipia) redigendarum. Habentur Ar-
gentorati, apud Servium Ex aquilium, Sub Iconis-
mo Equisonis Gallici. cum Symbolo: Do Libertati frenum.

Prodibit alia editio longè auctior, Francofurti ad
Mœnum, Nundinis fortè proximis.

V.

CAVSSÆ, NON CAVSSÆ, belli minimè belli. quo
xxvi. per annos ardet Germania, bis septē Emble-
matibus repræsentatæ, cum figuris, quarum, quæ ex
aduerso, nudæ & nō pietæ. Vtrarumque Lemmata,
ex centombus potissimum Virgilianis petita sunt,
quæ sequuntur.

1. Religionis Amor ————— Magis at Regio-
nis Amore.

2. Imperij Leges ————— Legionibus im-
peritare.

3. Publica libertas ————— Peregrin hoc no-
mine nobis Servi-
tium imponunt.

4. Patriæ

4. Patriæ tutela salusque ¹⁸ _____ Hic labor exter-
næ gentis.
5. Miseris succurrere _____ Reddant vt mi-
feros.
6. Cunctorum Iura tueri _____ Vt cunctos per-
dant.
7. Afflictis rebus adesse _____ Vt noua Regna
parent.
8. Adsumus auxilio _____ Non defensori-
bus istis Tempus eget.
9. Suspecta Potentia Gen-
tis Austriacæ _____ Sed vestra magis.
10. Sic visum fatis _____ Contraria fata
repono.
11. Non hæc sine numine
Diuûm _____ Te faciunt, For-
tuna, Deum.
12. Sub Clypeo _____ In nostros fabricata
est machina muros.
13. Bellandum Pacis stu-
dio _____ Deludimur ipsis Pacis
imaginibus.
14. Artibus his _____ Atque Arcibus istis.
Priores sculps. Pleonesia : pinxit Fallacia Poste-
riores,

riores, excudit Veritas: recudet eius parens, Tempus,
A Ere publico. Exempla prostant vbique per Ger-
maniam.

VI.

CHRIStIANISSIMI TITVLVS, vnde, & quando Gal-
liae Regibus attributus, quamque vim habeat?
Dissertatio Historico-Politica. Adjunctis Quaestio-
nibus: Annomini huic conueniat foedera cum infi-
delibus inire. Christiani nominis hostem in Christi-
anismum concitare. Transylvanum in Pannoniam
immittere. Tartaros euocare. Christianos Principes,
ipso Christi nomine insignitos, * inter se committe-
re. Lusitanis Tyrannum imponere. Catalaunos in
Regem suam armare. Batavos fouere. Perduelles
quoslibet, pessimo exemplo, suscipere. Gebennam,
patrocinio Gallico securam, velle intercipere. Se-
ctariorum moenia, non templa, domi diruere; Mili-
tia, Urbibus bello captis, dogmata inducere. Mini-
strorum cathedras, Brissaci & alibi, Lilijs Gallicis de-
corare. Caluinismum Legibus Imperij vetitum, Rhe-
nanis ditionibus inferre. Templa, Coenobia, aedes sa-
cras diripere. Donaria, Vasa sacra, Vestes, & Leipsa-
na, militi alendo distendere. Ecclesijs Organa, pneu-
matica, ara, atque marmora, detrahere. Iustitiae sa-
cerdo-

Christia-
num IV.
Dan. Reg.
& Chri-
stianum.
Suecia
Regin.



13
cerdotes, exemplo inaudito, hospitationibus pressos
in exilium agere. Denique, supplicationibus pro pa-
ce indictis intercedere.

Subiuncta est pro Coronide, de Titulo Advocati
Ecclesie, Augg. Rom. Impp. jam olim à primis sæcu-
lis proprio, Dissertatio. Cum quaesito: An non sit ju-
stum, Ecclesiam Advocato, Patrono, & Defensori
opitulari? An non injustum, Primogenitum Eccle-
siae qui se nuncupat. Id velle impedire? Veneunt in
officinâ su ppellatiuorum positiuo carentium. Sub
signo, Superficies sine solo.

VII.

DE DURATIONE FOEDERIS GALLO-SVECICI. Cuius
nimirum Tabulae, ferrae; Signaculum, sanguis
Teutonicus, Pignus, terrarum nobilissima Germa-
nia. Pignore discusso, reliquis Christianus Orbis.
Testes, Ambitio & Avaritia. Tractatus nouus, diu
desideratus.

Subsequuntur Gallorum, Suecorumque, pari-
bus votis & viribus Imperium ambitiosè agitantium,
conriuaciones: & ob nimiam, horum ad Album,
illorum ad Rhenum, potentiam, his suspectam, illis
grauem, mutuae amulationes, iam pridem operis
odijs coeptæ, breui in apertas inimicitias erupturæ.

14

Cum Monitis & Exemplis, excerptis ex Relationibus Legationis Gallicæ duorum Claudiorum. Mimesij & Salesij, quorum hic in Aulâ Suecicâ nunc eam sustinet, ille jam nuper ad Septentrionem sustinuit.

Additæ sunt, Animaduersiones Politicæ, ad duo prima Monitorum capita. Quorum vnum est; Christianissimi Regis interesse, Sectariorum potentiam non crescere. Alterum: Suecorum Imperium Romano-Germanicum ad Gallos non transferri.

Corollarij loco, subiectus est Discursus, de Viniensis militis, qui reliquus est, à Gallis abalienatione: deque reconciliatione, diplomate Amnistie delata, per eius Duces qui supersunt, breui acceptanda, Omnia simul edita Germanopoli. Apud Martios Riuales; Sub imagine, Latronum de preda disceptantium.

VIII.

DE ECCLESIA GERMANICA emendandâ, & ad normam Gallicanæ reducendâ, Theologorum Gallicæ Censura: è Schedis Richeliiacis recens eruta, & directâ Ludouico xiv. Regi Christianissimo, Ludouici Pij (cuius de reformatione abusuû Cleri in Germania, exstant Decreta) cognomini, & successori.

Subjungitur, Consilium de Pragmaticâ sanctione in

pe in

ne in locum Concordatorum Nationis Germanicæ surrogandâ, tollendis Electionibus, abolendis Annatis, Sacerdotijs sine ætatis aut sexûs discrimine conferendis. De sacris venundandis. De disciplinâ Ecclesiastica, & moribus Gallicanis per Germaniam introducendis. Commentarijs cuiusdam Theologi-Politici huius temporis, dilucidatum. Cum Diplomate Parlamenti Regij ad Annum.

Adiectum est & aliud, de Principibus Germaniæ in Ordinem redigendis, & Parium Franciæ numero adscribendis. Lutet. Parisior. apud Herculem Gallicum. Sub icone Tarquinij superbi, eminentia papauerum capita decutientis.

IX.

FACTIONVM MOTVVMQVE ciuilium, quibus Gallia sub Regibus impuberibus afflicta fuit, Epitome. Extat Mss. apud heredes Colinos, breui in lucem mittenda, cum dedicatoria ad Proceres Gallia.

Addetur explanatio, Eccles. cap. x. Væ tibi terra cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt. Meditatur Miluius Nazarius (Anagram) Dabitur in Insulis Halcyonijs, Maris Pacifici; apud Neptunum fluctuum compositorum.

X. De

DE FATIS IMPERIORVM, deque Imperij Romano-Germanici Periodo. Et an vera sit sententia, Fato regi, vel fatis destinari Germaniam, Dissertatio. Scribebat Salius à nouo, delirans (Anagram)

Pro Additamento, junctus est libellus De fatis factus. Cum Comment. Seruij, in illud A Encid. Imperium sine Fine dedi Omnia simul edita Gallo Suecopoli. apud Rotarium instabilem: ad insigne Fortunæ stantis in præcipiti & retro labentis.

XI.

FRANCO-GALLIA. Liber singularis, Franc. Hottomanno Icto iam pridem conscriptus, de nouo recusus & auctus Comment. amplissimo: De Francorum origine, migrationibus, occupatione Gallix, quæ mutato nomine Francia vocari cœpta, deque Regni Franco-Gallici primordijs, ac gentis posteritate, ex qua totius pene Nobilitatis Gallicæ stirpes processerunt.

Adiunctus est Tractatus, de vtriusque Franciæ, tam Orientalis quam Occidentalis, coniunctione, ac nouâ Gallix in cis & trans Rhenanam diuisione, in locum veteris cis & trans Alpina, surrogandâ. Denique, de auitis sedibus postliminio repetendis. Opus nouum



nouum seu verius interpolatum. Francopoli, apud
heredes Merouingiorū: ad insigne Galli & capi. Cum
lemmate: Ambobus commune genus.

XII.

GALLIA PACIFICA, siue, relatio Pacificationum in-
teruentu Gallorū (qui Regum & Gentium Pacis
Bellique Arbitri. edici volunt) inter Principes Chri-
stianos, nouissimis annis. singillatim in Italiâ sanc-
tarum.

Addita sunt Gallicæ factionis Machinamenta.
Quibus demonstratur, bellorum omnium, quibus
ardet Europa, Gallos esse authores, faces discordia-
rum, & sæculi nostri turbines. Adductis exemplis,
de Principibus Germaniæ diuisis: Imperio Romano
hostiliter impetito: Sueco in Germaniam euocato.
Ragosko Pannoniæ immisso. Turco in Italiam con-
citato. Lusitanis ac Catalaunis ad rebellionem ar-
matis Neapolitanis, Siculis & insubribus sollicita-
tis. Batauo pecuniâ & copijs adiuto. Hassis in defe-
ctionem corruptis. Vinariensis militiæ reliquijs ad
transfugium coemptis. Alsatiâ, Lotaringiâ, vicinif-
que Rhenani Circuli regionibus subactis. Rusticis
ad Anisum in arma suscitatis. Commissis inter se ad
VII. trionem Regibus. Angliâ factionibus scissâ.

C

Vni

Vniuersâ denique Rep. Christianâ, extra Galliaë fi-
nes, Gallorum, aut armis, aut pecuniâ, certè confilijs,
concuſsâ.

Adjunctæ sunt, Interiores litteræ: Secreta Lega-
tionum monita: Emissariorum relationes: Bellico-
rum consiliorum acta, aliaque arcana permulta. O-
pus exaſciatum manu Riceliacâ, bellâ bellorum ar-
tifice: adauctum ministerio Iosephico: expolitum
dolabrâ Mazarinicâ Sumptibus, afflictæ Christia-
nitatis. Cosmopoli, apud Societatem Impiorum. Ad
effigiem Busiridis.

XIII.

GERMANICI CAESARIS, DR VSI F. Monumentum:
debellatis inter Rhenum Albimque Nationi-
bus, ab Exercitu positum, ac Marti, Ioui & Augusto.
(Tacit Annal. 2.) Repertum in ruderibus Arcis, quæ
Moguntiaci exstruitur: quo loco olim castra Ro-
manorum fuisse memorantur. Inuentore Viceco-
mite Corualio, Arcis Præfecto, operarum plebeia-
rum, & olei, emunctore egregio. Luci datum & in-
scriptû Vicecomiti Turenio E. T. Dei Gratiâ (non Fran-
ciæ) Duci Bullonio Principi Sedanensi, A-Ducis &
Ex-Principis fratri natu minori. Gallo-Germanici
trans Rhenum exercitûs, Ductori. Impio. Infelici,
Deiucto. Sub-

19

Subjungitur, De Vesperis Siculis in Rhenanas
transmutandis Vaticinium: auorū memoriā à Ma-
thematico non vulgari scriptum, ad calcem libro-
rum Sibyllinorum, editorum Antuerpiæ Anno C 15.
15. LXXXIII. Ex officinā Ciuicā ad portam Kipdorpi-
am, sub effigie Francisci Herculis Ducis Alençonij.
Cuditur, cum priuilegio Iuris diuini & Humani, a-
pud Victorem Insolentem, sub simulachro Nemesis.

XIV.

GERMANIA ANTIQVA ET NOVA. Statūs vtriusque
Descriptio, de quē hac ad normam illius redu-
cendā Introductio Methodica. Cuius capita sunt:
Concordia Germanorum, Harmoniæ diuulsæ re-
stauratio, Legem Imperij authoritas, Dissidiorum
compositio, Animorum reconciliatio, Pax interna,
Incommune consultatio.

Subsequuntur, Tabulæ Legum fundamentali-
um Imperij, Aureæ Bullæ, Constitutionum, Pacis
Publicæ, Transactionis Passauicæ, Pactorum Re-
ligionis, legis Cæsareæ aliarumque Sanctionum
Præmaticarum, quas obsoleta nomina quidam
indignant, pristino nitore reuocata & à mentis ex-
purgata: reiectis Glossis Gallo Suecicis, textum ad

instar Aurelianensis, corrumpentibus, desumptis ex
actis Concilij formati, & Conciliabuli Heilbrun-
nensis; Malecontentorum, Excluserum, non conci-
liarorum, reconciliationem respicientium querimo-
nijs: Grauaminibus & controuersijs publicis. Deni-
que ex Hesso-Casselensium, Badeno-Turlachiorum,
Nassauo-Saræ-Pontanorum, aliorumque in patriæ
exitium armatorum, Aduersarijs. Omnia studiosè
collecta, studio Patricij Germani. Typis Tentonicis
Sub insigni Palladij Germanici, cum inscriptione Moribus
antiquis.

XV.

GESTA DEI PER FRANCOs, siue priscorum Franco-
rū Bella sacra, & expeditiones in Orientem, pro
fidei Christianæ propagatione, foelicissimè susceptæ.
Syriæ, Cypri, Græciæ Regibus impositis; & ipsa
Constantinopoli, Orientalis Imperij sede, diutissimè
possessâ.

Adjuncta est Antithesis, Gesta impiorum per Franco-
s, siue Francorum huius æui, pro Christiani nominis
hoste in principes Christianos concitando, machi-
nationes. Exhibentur inter cætera Oratoris Gallicij
laHaye, ad portam Othomannicam acta, Suecico
& Batauo pararijs pro Turcicæ clasiss ad littora si-
nûs Adriatici, inque Italiam descensu.

Pra-

Præterea, acta foederis cum Georgio Ragotzi Transylvaniæ Principe initi, & per eundem Oratorem Gallicum procurati, sub Hassæ & Batauorum ratihabitione, constituto pignore Olomucio, ac licentia Sultani Tyranni, per summū Vezirum Gallicis nummis corruptū, procuratā cuius paulo post, Deo Vltori dignas cum vitâ pœnas persoluit. Pactiones quoq; cum Tartaris habitæ, pro supetijs Transylvano mittendis, ac per *Auxiliarium* stragem in Polonia acceptam, cui memoriâ nostrâ nulla similis, impeditis. Omnia ex Archetypo fideliter desumpta, & ex Turcico idiomate translata per M. D. Asquier interpretem Cæsareum. Iuxta exemplar Byzantij editum. Erant plurima Augustæ Impiorum, in officina Degenerum. Ad insigne Liliorum marcescentium, cum inscriptione, Fuimus Troes.

XVI.

DE HASSORVM CASSELENSIVM à Cæsare defectio-
ne, eius causis & Authoribus. Deque eorum fœ-
deribus Gallo-Batauis, Scribente Ioachimo Vico-
fortio, Hassicorum negotiorum in Batauis Procura-
tore, & Gallico stipendiario.

Addita sunt, Actâ transacti-
um cum Lantgra-
uia tentatarum, & conclusarum, sed Gallicis arti-
bus,

bus, & pecunia, interturbatarum. | Cassellis. Apud Vi-
duam & hæredes Cattorum. Ad insigne Lunæ aureis
Gallicis coronatæ.

XVII.

ILLVSTRIVM CONTROVERSIARVM, ad Pacis Collo-
quium quam maximè conducentium, Syntag-
ma. Vbi agitur, de jure præcedentię, sedendi & ince-
dendi prærogatiuâ inter Legatos Regum, Princi-
pum, & Rerum publ. De Titulo Excellentiaę, cum
eius amplificatione, nouis scitis Scholæ Gallicanaę
illustrato. De inuisentium admissionibus. Qui sub
vranisco excipiendi? Quibus sedilibus? Quo serici
genere obtectis? De VII-Virum Augustalium, qui
non minores se Regibus ferunt, Dignitate. Inciden-
ter quæsitum, An Legato Ducis Allobrogum Prin-
cipis & Vicarij Imperij, Saxonicaę familiaę surculi,
plus honoris dandū, quàm Legatis Electoralibus?
In super, De statu Principum Imperi, & an Italicis
posthabēdi. Et quid de Gallicis? Quis titulus dandus
Duci Longo-villano, Gallicę Legationis Principi?
Ex occasione quæsitum, An noua Batauiæ,
Resp. ex piscatori & calcario populo couflata,
Reip. Veneræ, vti antiquissimæ, ita & nobilissime,
circa

23

circa honores sit adæquanda? Cum Examine nup̄-
ræ sententiæ Gallicæ per Estradam ex breuiculo re-
citatæ, latæ à Iudice non Iudice, studio vnus partis,
reliquis inauditis, abrepto, indictâ causâ; & si Deo
placet, corâ Electoribus, Principibus atque ordini-
bus S. R. Imperij, aliquando reuidendæ.

Ad calcem, affutus est libellus Gallicus. Authore
Serrâ. Inscriptus, Nugæ Nugarum & Vanitas Va-
nitatum Prostant in Vrbe Pacificatoriâ. In officinâ
Phaleratorum. Ad imaginem Diuitiani captantæ muscas.

XVIII.

DE IMPERIO CAROLI MAGNI, & Successorum: in-
ter quos numerantur quatuor Ludouici Impe-
ratores & Francorum Reges Authore Besiano Ar-
royo, Rethore Lugdunensi.

Adposita sunt testimonia, ex Scriptoribus Galli-
canis excerpta, quibus probatur, Ludouicum XIV.
Galliæ Regem non esse de stirpe Caroli Magni. Ad-
iunctâ Genealogiâ, quâ apparet familias, Austria-
cam, Saxoniam, Lotaringicam, Hassam, aliasque,
Carolouingis, multis gradibus Borboniâ esse pro-
pinquiores. Collectore Alexandro Patricio Arma-
cano. Cum approbatione Doctorum Lutet. Parisi-
or. Ex Officina Censorini Veri. Ad insigne Corniculæ,
regis auum Pennis vastitæ.

XIX.



LIBELLI SEDITIONOSI. Vnius inscriptio est, Auis des-Interesse aux Habitans des Pays Bas, qui sont sous la domination du Roy D'Espagne, par vne personne Neutre. Alterius. Fin de la Guerre aux Prouinces qui sont sous ladite domination, respondant audict aduis. Item. La Descouuerte des Proffondeurs D'Espange. Ad Ordines Populosque fideles Belgarum in Regem concitandos, clam Belgio immissi. Conscripti nomine Anonymo à duobus gēte & munere socijs, quibus uti nullâ in re, ita nec in hâc præterquam quod malè scribant, benè conuenit. Prioris Author est Democles Dumafius (Anagt) Posteriorum, Nereus à bile. (Anagr.)

Additum, Sanctioris Concilij Regij S. Ctum postulante fisci Patrono latum, quo libelli hi (à Pacis caduceatoribus ex ipsâ Pacis Vrbe aduersus Pacem submissi) seuerissimè damnantur. Prodierūt ex Officina Factiosorū. Sub imagine inuersâ fidei publicæ.

XX.

LILIETVM SVPEREXCRESCENS, id est, M. Antonij Arnaldi Scholæ Sorbonicæ Theologi, Paraphrasis ad illud Mathæi 6. 27. Considerate lilia, quomodo crescunt.

Ob argumenti vicinitatem, adjuncta est R. P. Ioannis Gans, è Societate Iesu, Conscientiæ Cæsareæ
Mode-

25

Moderatoris explanatio, Mathæi 22. Date, quæ sunt cæsaris cæsari, & quæ sunt Dei Deo-ex Bibliopolio Iustorum, Ad insigne Aquilæ volantis. Cum inscriptione: Hæc cælo; illa solo.

XXI.

LUDOVICI BORBONII, Ducis Anghiani, Regiæ stirpis & Iuuentutis Principis, ad Rocroiam Triumphatoris; Theodonis-Villæ & Philippopolis, Arcium fortissimarum, expugnatoris; Tribochiorum, Vangionū, Nemetumque Victoris, Pij, Fœlicis, de prosperis ad Rhenum & Mosellam partis victorijs Encomiasticon. Scribente Girardo Adulantio, eidem à secretis.

Adjecta, Vitæ, res geste, atque exitus infoelices trium eius nominis, qui omnes Ludouici Borbonij Anghiani Duces nuncupati, fato breues, ambitiosa morte, sed funesto exitu, occidère.

Ad Calcem, addita Analecta funerum. Parentalium, Elegiarum, Epitaphiorum, ac Monumetorum Sepulchralium, inignis Nobilitatis Gallicæ ductu Ducis Anghiani cætæ. Ex editione Friburgensi in Briigoia. Apud Iuuenalem Prosperum. Sub Icone Fortunæ vitreæ. Cum Symbolo. Cum splendet, frangitur.

XXII.

DE MAGNITVDINE GALLICÆ, eiusq; comparatione

D
ne

ne cū Græcā, Africana, Romana, & Turcica, Com-
mentarius amplissimus.

Additus est Tractatus, De eo quod interest, ad-
cunctos Orbis Principes directus. Cuditur in Urbis
& Orbis officina, sub Bilance. Prodibit proximè,
Anno nouo, Sole ad signum æquatoris progresso.

XXIII.

MARS SVECICVS. siue, Belle quindecennalis à Sue-
cis in Germaniā gesti, Initia, Incremēta, & Pro-
gressus, cum præliorum omnium Diario, maximè
vero Lutzouiani, in quo Rex Bellator occubuit. Ad-
ditis causis, prout in speciē magnis nominibus pro-
positæ sunt: nempe, Maris Baltici Securitas; Reli-
gionis Libertas: Amicorum auxilia; Iniuriam ultio,
& quæ inde pendent. Cum explicatione Symboli,
quo Leonardus Dorstensonius, Suecici Exercitūs
Dux, uti consuevit: Pro Ecclesia & pressa libertate.

Accessit, Examen causarum, quæ reapse tales
sunt; & primorum armorum, tota indè Germania
circumlatorum, ansam dedere. Quarum præcipua
ac maximè vetusta; Dominationis & Diuitiarum
cupido, Deo atque hominibus aduersa. Deinde spes
prædæ, rebus turbatis. Coelum domi asperum, so-
lum

27

lum infœcundum; frigora, glacies, & quicquid vſ-
piam horridum, aut incultum: Germania, omnium,
toto Orbe terrarum pulcherrima: Coelum mite, agri
vbertas, gentis opulentia, quę inde peperit egeſta-
tem: Regionum fertiliffima Pomerania, verum po-
mum Eridis: Portuum, quos Germaniæ Portas rectè
dixeris, commoditas: Cuncta denique, terrâ mari-
que quàm maximè opportuna. Cum præfatione ad
VII. viros Electores Saxonem & Brandeburgicum,
ſimulque Saxonie Inferioris Principes, Euangelicę
Doctrinæ Columnas & Columina.

Pro laciniâ, additæ ſunt, Cauſſæ Belli Danici, ex
eodem fonte deductæ, ſed modo diſſimili, ſpreto
gentium Iure, nulla clarigatione præuiâ, inualidâ re-
ligionis ſocietate & fœderum fide, clam & feſtinatâ
irruptione in apertum poſitæ.

Opus ex vltimis oris Borealibus adductum, con-
ſcriptum pennis Vulturum Aquilonarium, & Aquil-
larum deplumatarum. Publico datum, Typis ferre-
is, ex ære Suecico in aurum atque argentum Ger-
manicum verſo, conflatis; Gladio, igne, fame, peſte,
incifis. Impreſſum tabulis non perituris, Urbium
dirutarum ruinis & cineribus, ſuperſtitum Mœni-
bus

bus. Dicatum Manibus tot virorum fortissimorum,
atque Exercituū caesorum Auctum Scholijs, id est,
spolijs amplissimis, praeteriorum mercibus. Impendio
maximo, ac vix alteri tolerando, totius Patriæ. Cu-
sum in Officinā Germanicā, cui appensa tabula Ger-
maniam in Germania quærentis.

XXIV.

MOGVNTIACI OBSIDIUM, rerumq; in eo memora-
bilibus auspicijs Ludouici Borbonij Ducis An-
guiani gestarum, Mense VII-bri cis id cXLIV. Rela-
tio Historica. Cum descriptione solennise puli con-
uiuialis, eā captā exhibiti summæ ædis Decano &
Capituli Metropolitanī Primoribus, secūda mensæ
assidentibus. Descripsit Octavianus ab Angelis, Pa-
tricius Neapolitanus, ad fanum Bonæ spei Canoni-
cus, Mazarinicus ad Rhenum Emissarius,

Ad calcem adjuncta est Homilia D. Io. Chri-
stomi: Nemo læditur nisi à seipso. R^{mo} Capitulo Mogunti-
no inscripta: Opus excusum Moguntiaci, Sumpti-
bus Ciuicis. Apud Gallum philomelum sub Icone
Aucupis. Cum epigraphæ: Volucrem sic decipit.

XXV.

DE MONPENSERIE, Aureliani Ducis filiæ, pro-
cis & ambitoribus. Deque eius nuptijs, An Man-
tua,

tux, an Berolini, an Olyssiponæ, an Oxonij, an Cra-
coviæ celebrandæ; Consultatio.

Apposita est Consultatio Medica, de morbo
quem vocant Gallico; eiusq; curatione, & remedijs.
An molli viâ, veluti purgationibus, vel sanguinis
missione: An durius, incisione scilicet, cauterio vel
ferro secanti, illi medendum sit; Conscripta à Regis
Poloniæ & Sueciæ Archiatro celeberrimo, in vsum
Germanorum. Editur in Officina Alexicaca: cui in-
scriptum, A malo gallorum libera nos Domine.

XXVI.

DE NEVTRARVM PARTIVM STUDIO, quod Neutrali-
tatem vocant: Et an ea Reip. benè fundatæ institu-
tis, sigillatim verò Imperij legibus permiffa sit? Dif-
fertatio Politica.

Subiuncta est, explicatio fabulæ æsopicæ, qua o-
ves cum lupis, canibus defensoribus impruden-
ter traditis, transegisse memorantur: quam Populo
Ptheniensi ad exitium ruenti Demosthenes, quon-
dâ proposuit. Antiquæ editionis rara sunt exempla.
Recentioris, paulo plura. Nouissimæ Treuirensis, &
aliarum, quàm plurima. Edita expensis Patriæ. In-
scripta Sereniss. Principi V Volfrango V Vilhelmo,
Iulic, Clivic, Montium & Neoburgi Duci, comiti

D 3

Palat.



30

Palat. Rheni. Veneunt apud Amphibios, fratres Germanos: Quondam re & nomine, nunc altero tantum. Ad insigne Navis tempestate vexatæ, parte auulsa mergi incipiente.

XXVII.

NOVA NORVM, id est infœlicis pugnae Cæsarianorum ad Opp. Tabor commissæ descriptio, in Ponte Nouo Parisiensi, ad rauim vsque decantata.

Subjuncta est, Relatio cladis Gallo-Vinariensium apud Margenthemium in Franconiâ, eiusque cum aliâ ante annum paulo amplius, ad Dutlingam in Sueuiâ acceptâ, comparatio. Documenta geminata à Deo, Limites Imperiorum quos constituit, impunè non transiliri. Addito exemplo Romanorum ad Euphratem. Opus editum typis Boiaricis, in Officinâ, sacratâ Deo Termino.

XXVIII.

PANEGYRICVS, LVDOVICO XIV. Galliarum Regi Christianissimo, cum dictis & factis Bello & Pace memorabilibus; Scriptus à Scipione du Pleix, Consil. & Historiographo Regio.

Addita, Patrum consultatio, de nomine ei decernendo, exemplo Didorum Patris & Aui. An Pater Patriæ, Maximus, Pius, Inclytus, Triumphator Germanicus; an Pacificus, sit appellandus? Access.

38

Accesserunt pro Appendice; alii Donati Rudimenta puerorum. Lutetiae Arce Luparâ, in Bibliopolio Regio, curâ Sebast. Cramoisiij. Opus nouum, nec haectenus visum.

XXIX.

PARATITLA IURIS GALLO-SVECICI, in Pacis Tractatione haectenus edita, turbato Ordine Titulorum, qui in libris Iuris leguntur. In primis Titulo De iustitia & iure, qui principem locum tenet, expuncto ei-que suffecto Titulo, de vi armata. Titulis de pactis, de transactionibus, & de iureiurando, in Cod. Gallico inter abrogatos positus. De cõpensationibus. Titulus editur, prætermis-
sâ L. vlt. quâ dicitur, Possessionē alienam perperam occupantibus, Cõpensationem non dari. Titulus de captiuis, qui inter postremos est, ante reliquos omnes collocatur. Vtriumque proponitur Titulus, De generali abolitione. In De restitutionib, in integr. sed eius Legibus ad alium diem & Coss. nempe **A**nni xviii. huius saeculi. retroactus. Sequitur De satisfatione, seu vt illi legunt satisfatione. Inde de sumptibus litium. Addunt, & belli. Titulo de acquir. rer. dominio adiungunt Titulos de furtis, vi bonor. raptor. per. amotor. & de Terminato moto. In Gallico Cod. subiungitur Titulus vt possidetis

detis: cum Titulo de reb. eorum qui sub tutela. Postremus Titulus est de seruituribus & de seruis & mancipijs ciuitatum. Titulus de Pace constantiæ, seu (vti melior lectio habet) cōstanti, reinititur ad Titulum de liberis & postumis. Cum analysi famosæ illius, toties lectæ, nunquam intellectæ, L. Gallus sub eodem Titulo.

Accessere propter affinitatem; Nouæ Grammatices initiamenta, de nominibus Vis & Ius, comparium litterarum, inter se conuertendis. Item nouæ politices; Regna Christiana, imò Christianissima, magna latrocinia velle haberi. Nouæ item Theologiæ, Iustitiam cœlo relegare, Bellorum. Diuas terris inferre. Editio noua, Ex Typographico Adiceo Martialis Causa-mali, Sub scuto Equi Troiani. Cum Symbolo: Ea gens sic fabricat æquum.

XXX.

PARTITIO PROVINCIARVM Orbis Christiani, per Gallos cum socijs concepta: foederis pretium, & victoriarum præmia. Germaniæ cum Sueco; Italiæ cum Turco; Hispaniæ cum Braccantino; Hungariæ cum Transyluano; Poloniæ cum Tartaro; Britanniarum cum Parlamerarijs; Belgij cum Batauis; Heluetiæ cum Allobroge; Circuli VVestphalici cum Hassis; denique totius orbis terrarum, nemini, nisi vni, ratione redditâ.

Acces-

33

Accessit, Apologus *Æsopicus*, de pellis *ursinæ* ante
feram captam partitione, ac rixâ inter ipsos partito-
res. Lutetiæ Parisior. ex officina *Ambitij Inquieti*.
Via, qua itur ad spatia imaginaria. Ad insigne, *Sabinorum* pelli-
bus incubantium cum inscriptione: ipsi sibi somnia fingunt.

XXXI.

DE QUATVOR SVMMIS IMPERIIS, quæ per *IV.* besti-
as de quibus *Daniel. cap. VIII.* designantur, *Io.*
Sleidani libri *IV.*

Additus est, & *V. tus* De Monarchia Gallica, eius
gradibus & progressu. Coronidis loco & *VI. tus* con-
tinens Prognosticon de eius decrementis, & occasu.

Annexa laciniæ loco, Europa triumphata. Comedia è
Gallico versa, acta Ludis Luparentibus, *A. cio. icc.*
XLIII. Rege spectâte, Aula plaudere. Edente *Arman-*
do Cardinale Riceliaco, sub exitu vitæ, vti & scenæ.
Lutetiæ Parisior. Ex officina *Thraonica*. Sub scuto,
Asini Æsopici insectantis *Vnbra*. Cum Symbolo: nō sufficit vnum.

XXXII.

RATIONARIVS GALLICVS siue Commentarium,
quo vires *ærarij* opesque publicæ Regni Gallia,
expensarum quoque rationes describuntur. Quan-
tum Militum, domesticorum, Exterorum, Ordina-
riorum, Auxiliarium & Sociorum in armis sit. Nu-

E

merus

merus copiarum, Legionum, Apparatum, Armorum. Quæ domi militiæque stipendia, quæq; in Aulis exteris, Germanicis potissimum, largitiones. Quæ tributa, vectigalia, portoria, census, Salinarum proventus, indictiones, superindictiones, angariæ, parangariæ, captiones, aliæque tam antiquæ quàm nouæ, solitæ & insolitæ, voluntariæ & violentæ impositiones, quæcumque ab humano ingenio excogitari possunt, indictæ: Plebe, vanâ pacis spe ac specie illustâ: singillatim verò, quæ ædificijs Urbis Parisiensis (nouo exemplo) impostæ. Deque modo collectandi XXI. Myriadas auri, jam dudum decantatas; ac mulierum tumultu Parlamenti Curiam Inscendentium, coërcendo, Consultatio.

Insertus est, Index, seu Nomenclatura Præfectorum ærarij, Thesaurariorum, Quæstorum, Argentariorum, Rationalium, per Dioceses Actorum, Fiscalium præstationum Coactorum, Accipitrum, Harpyarum, Gryphonum, Coruorum, Miluorum, aliorumque eius generis, hominum cum senis manibus, genere Geryonaceo, sine fine dicentium.

Adiectæ quoque sunt Lachrymæ Populi Gallici, vltra quàm ferri potest, onerati, ac sub iugo fatiscen-
tis, & in clamatis: pacem pacem, Cum libello inscripto:

Vox

35

Vox sanguinis, vox orphanorum. Prodiit Polemopoli, ex Of-
ficinâ Paupertatis & Impotentiaë,

ΠΕΥΙΟΞ ΝΥ ΑΨΟΓΙΟΞ. Ad insigne, Galli exossat;

XXXIII.

REGVM SVECORVM, Gothorum, & Vandalorum
series, à primâ origine vsque ad Gustauum Adolphum
Regem postremum, longo ordine deducta, ex diuer-
sis rerum VII. trionalium vicinorumq; populorum
Scriptoribus. Dedicata Vladislao Sigismundo, Po-
loniæ & Sueciæ Regi.

Subiuncta est, Consultatio Reëtorum & Senato-
rum Regni de Christianâ Regis Gustavi filia, Regi-
nâ designatâ, maritandâ. An Indigenæ, An extero, &
cui? Cum conclusa, de Batauis in paranympnos, Par-
lamentarijs Britannicis in pararios; Baltici Maris Ci-
uitatum legatis, in testes assumendis.

Auctarij loco, addita sunt Vita & Elogia Elisabe-
thæ Anglorum Reginaë, omnium quæ vnquam sce-
ptrum manibus gestarunt gloriosissima & fœlicissi-
mæ, quæ in cælibatu consenuit. Edita curâ Axelij
Oxensterni, Regni Suecici Cancellarij, Holmiæ ex
officinâ Parthenicâ. Sub scuto Trium coronarû cadentium

E 2

XXXIV

SEIANVS GALLICVS, Petri Matthæi Historiographi
Regij. siue, Concini Conchini, Marchionis Anco-
ritani E-T. genus, vita, mores, potentia, fastus, Artes
dominationis parandæ, denique & exitus. Historia
Tragica ex Gallico trāflata, & de nouo excusa, cum
præfatione ad Iulium S. R. E. Cardinalem Mazari-
num

Addita sunt Parallela eiusdem Cardinalis, & Ci-
galæ. Quorum hic Imperij Turcici summus Vezi-
rus, ille Gallici Minister primarius. Vterque Purpu-
ratus, alienigena, Insulanus, & Siculus. Vterque
Orbis Christiani perturbator. In vtrumq; pares con-
iurationes, paria fata. Lutetię Parisior. apud Peregri-
num infestum, sub imagine Victimę, inscripta: Hodie
mihi, cras tibi.

SECRETA SECRETORVM. Id est, Meditamenta fœ-
derum arcanorum à Gallis Suecisq; pro capi-
undâ Europæ Dominatione, conceptorum. Inpri-
mis Turcico-Perficq; pro Sicilia, Sardinia, Corsicâ,
Melitâ inuadendis. Apulia, Hetruriæ, & Liguria
oris deuastandis: Transyluano-Tartari, ac Rustico-
rum ad Anitum tumultuantium, contra Austriacos:
Moscouito-Bataui contra Danum: Batauo-Lutita-
nicon-

ni contra Hispanum: Bacauorum aduersus Imperium, Parlamentariorum contra Anglum: Poloni, ut ab Austriacis, diuitatur: denique Ordinum Imperij, ut ab Imperatore & Imperio deficient.

Subjecta sunt Anti-Meditamenta foederum contrariorum, pro Pace, tranquillitate, ac securitate publicâ initorum vel incundorum. Nempe Pontificio-Cæsareum, Principum Italiae, Pacem Orbi deposcentium. Regum VII. Trionialium Ciuitatumq; Vandalicarum, ad vindicandum Libertatis Germaniae decus: Dani cum Mosco: Principum & Ciuitatum Imperialium Augustanam Confessionem profitentium, aduersus proteruiam Gallicam: Hispani cum Dano: Eiusdem cum Florentino & Genuensibus. Cuduntur secretò in folio, cum magnis marginibus. Eleutheropoli apud Pacium Cosmophilum, sub Simulacro fidei. cui subscriptum: hæc foederis arca

XXXVI.

SVECIAE GENTIS VETUSTAS, iam inde à Gothis deducta, à quibus hodie præcipua inter Hispanos Nobilitas originem suam repetit. Descripta quoque est virtus Militaris, quâ Gallias aliquando subiugauit.

Adiecti sunt Commentarij amplissimi, De Nationis ferociâ, superbiâ, perfidiâ, Insolentiâ, popula-
tion-



tionibus, inquiete, prædandi studio, & alienas terras querendi cupidine. Gesta quoque Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Gepidarum, Vifi Gothorum & Vestro-Gothorum, aliorumq; populorum VII. trionalium, cum Gestis Sueonum nostri temporis, comparata. Inseto Ericij Putecani Comment. de Irruptionibus Barbarorum.

Accessit Index Urbium, Arcium, Vicorum, Locorumq; a Suecis euerforum, nullâ Electorum aut Principum Religione ac fœdere conjunctorum ratione habitâ. Ex tabularijs Germaniæ, Saxonicijs præsertim, desumptus. Prodiit in Noricis. Typis Leonis Dorostenidis, apud Argiropilū. sub scuto flagelli Dei.

XXXVII.

DE TRANSLATIONE IMPERII ad Germanos, Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Presb. Cardinalis Tractatus. Additis Questionibus, antea non editis: An trāslatio ea tam actiue, quam passiuè facta sit? An Rex Franciæ possit eligi Imperator? An eligendus Imperij Hostis, qui que armis, & titulo successionis hereditariæ, illud sibi vult asserere?

Subiuncta est, Cæsaris Oudin Regij linguarū Interpretis, Grammatica Germano-Gallica, in gratiam Ludovici

39

Ludouici XIV. Galliaë Regis composita, & dedicata
Marchionissæ Seneceæ eius moderatrici Lutet. Pa-
risior. Typis Regijs.

XXXVIII.

TVRICI IMPERII ET GALLICI, prout nunc sunt
tempora, Comparatio. Vbi de vtriusque gentis
Amicitia, foederum necessitudine, pañ Regiminis
formâ, simili Tyrannide, perfidia dominandi lubidi-
ne, auaritia, bellandi studio: deinde & gentium reli-
quarum odio. Additis exemplis de similibus Admi-
nistrorum Præceptis: Ciues domi, belli finitimos fa-
tigare: Deum hominesque temnere, Ius in armis ha-
bere: nullos imperiorum, nullos Iustitiæ limites fer-
re: fide Punica vti, Sacramenti religionem susque
deque habere: Pacta non pacta velle omnia ducere,
rapere, trahere; prædis, populationibus foedare: ferro
flammaque sæuire: Ecclesijs Catholicorû, vt in Vr-
selleni excidio nuperrimè factum, ignem iniicere:
Regni extrema dehonestare: Nobilitati non parce-
re. Militem duriter habere: Fiscum quâ jure, qua in-
juriâ, augere: Tributorum iniquis exactionibus
Prouincias laceßere: Prætorianas cohortes; præci-
puum potentiaë robur habere. postremò, Vicinis
seruitutem, Cunctis Bellum sempiternum parare.

Ad-

40

Adiecta sunt, quæ hoc anno inter Principes Christianos, de exercitu contra communẽ Christiani nominis hostem conscribendo, actitata sunt: simul, quæ pro anno fortè sequenti, contra Gallos, eorumq; asseclas, Christianæ Reip. perturbatores, pro communi tranquillitate, arma parantur. Omnia studiosè collecta, & litteris mandata per Theophilum Publicolam. Ex Bibliopolio Capitolino. Sub Titulo: Clasficum belli sacri.

XXXIX.

VINDICIAE LIBERTATIS GERMANICAE, Armis Gallicis & Succicis, speciosis nominibus, prætensæ. Per Armandum Ferronium Bellarminum.

Accessit, Monitio ad Principes & Ordines Imperij, de externæ Dominationis jugo excutiendo. Cum appendice SC^{ti}. in Gallia VI. Kal. Quintil. cio. 15. xciii. lati, de mutua erga patriam charitate: odijs, simulatibus, ambitione, cæterisque quæ bella ciuilia adferre solent, ptocul habitis: de quæ legibus fundamentalibus Regni factionibus scissi, peregrinis amotis conseruandis. Scribente Fido Pattiophylo; Augustæ Getmanotum. In officina intetiori Aquilij Pacati. Sub scuto Pilei inter duos pugiones, Cum Symbolo: Si quis amor patriæ.

XL. Via

VIA IRENICA, vel potius IRONICA, id est, Media
 Pacis Generalis conciliandæ, ex actis rerum à
 Gallis Suecisque in Pacis Colloquio gestarum, col-
 lecta. Capitum hæc summa est. Legatorum fallacia:
 vultum non mentem bonam ferre: testudineum
 grandire gradum. Ordinum Imperij, Maximorum,
 Medioximorum, Infimorum, vniuersorum & sin-
 gulorum (quod Cæsaribus vix concessum) conuen-
 tum agere: trinis citationibus ciere: Ope, consilio,
 sed & iudicio eorum velle vti, obtendere: vocare in
 partem victoriarum. Non cum Cæsare de pace age-
 re, sed, tanquam inter Cæsarem atque Ordines tran-
 figendum esset, Disceptatores se exhibere. Munici-
 pales Legationes adsciscere: eandem vsquequaque
 cantilenam occinere. Quæ extrema in Tractationi-
 bus esse solent, prima petere: belli causas, Bello non
 composito sibi apponi, postulare. Omnes retro Pa-
 ces, non Paces habere; Generalem aspernere. Singu-
 laris specie singulos circumuenire. Omnia denique
 gentium Iura infringere. Dum verbis pax nuntia-
 tur, re ipsa bellum asperrimum gerere: Iram non po-
 nere, sed augere Belli promouendi colorem obten-
 dere ad pacem, quam ipsi nolint, alios cogendi. Ex

F

rebus



rebus secundis, justitiam Armorum metiri. Coronæ
 bona pro Bello alienare; erepta, Rege impubere re-
 stituenda non esse, decernere. In ipso pacis Collo-
 quio Belli semina agitare. Cum socijs foedera aut fir-
 mare, aut sancire. Defectiones quærere. Ipsum Pacis
 Arbitrum Bello aggredi. Scribente Mercurio Ver-
 tumno.

Appendicis loco, subiuncta Opuscula duo. V-
 nū, Chorea Gallica, sacrata Paci, ab Exilio in Scæ-
 nam protractæ. Europæ lugentis sarcasmus. Saltata
 Bacchanalibus, in Atrio, cuius portæ inscriptum,
 Hic toti illuditur orbi. Alterum, cui Titulus: Concordia
 Discors. Id est, Oratorum Pacis dissidia, contentio-
 nes, iurgia, mutux accusationes, & ipsorum Compo-
 sitorum incassum tentata Compositio. Veneunt in
 Metropoli V Vestphalorum. in Armorum officinâ:
 cui foris appensum signum Caducei.

E L E N C H V S

OPERV M

BIBLIO. THECAE

GALLO-SVECICAE.

PROLOGVS.

CAP. I. Annales Tractatum Pacis.

Fol. 3.

II. Auftra-

II.	Austrasiæ regnum.	8
III.	Austriaca domus.	9
IV.	Beniuolentia Gallica erga ciuitates imperij.	ibid.
V.	Causæ Belli Germanici.	10
VI.	Christianissimi Titulus.	12
VII.	Duratio fœderis Gallo Suecici.	13
VIII.	Ecclesia Germanica.	14
IX.	Factiones ciuiles Gallicæ.	15
X.	Fata Imperiorum.	16
XI.	Franco Gallia.	ibid.
XII.	Gallia Pœifica.	17
XIII.	Germanici Cæsaris monumentum.	18
XIV.	Germania antiqua & noua.	19
XV.	Gesta Dei per Francos.	20
XVI.	Haslorum Casselensium defectio.	21
XVII.	Illustres controuersie circa Pacis colloquium.	22
XVIII.	Imperium Caroli magni.	23
XIX.	Libelli seditiosi Belgio immissi.	24
XX.	Lilietum super excrefcens.	ibid.
XXI.	Ludouici Borbonij Ducis Anghiani Encomium.	25
XXII.	Magnitudo Gallicæ.	ibid.
XXIII.	Mars Suecicus.	26
XXIV.	Mogundiaci obsidium.	28
XXV.	Monpenserie nuptio.	ibid.
XXVI.	Neutralitas.	29
XXVII.	Noua nouorum.	30
XXVIII.	Panegyricus Ludouici XIV.	ibid.
XXIX.	Paratitla iuris Gallo Suecici.	31
XXX.	Partitio Prouinciarum orbis.	32
XXXI.	Quatuor summa Imperia.	33
XXXII.	Rationarius Gallicus.	ibid.
XXXIII.	Regum Suecorum series.	35
XXXIV.	Seianus Gallicus.	36
XXXV.	Secreta Secretorum.	ibid.
XXXVI.	Suecicæ Gentis uetustas.	37

xxxvii.	Translatio imperij ad Germanos.	38
xxxviii.	Turcici Imperij & Gallici comparatio.	39
xxxix.	Vindiciæ libertatis Germanicæ.	40
xl.	Via Irenica.	41

ΠΑΡΑΙΝΗΣΙΣ.

Ad Principes Germaniæ.

Finem fecit Indices sui Erasmus, vos à fine Principes principium sumite, & quæ monstravit monstrata, ab ijs abhorrete; quæ in rem & salutem patriæ, ab ijs Patres esse patriæ discite. Quid enim?

Εἰρήνη quid sit, si quid sit, nostis, Erasmus.

Εἰρήνικος quis sit, scietis, hic Erasmus.

Mus erat *αἰών*? fuit herclè ex vero nimis, & est etiamnum, eritque post, heu! diu nimis, nisi vos ne- uoltis. Quid loquar, videtis, si vbi mus habitet tene- tis. nec certo loco, nec regione recta latet: & hoc etsi nulli non patet: vbi lateat, id adeo nulli patet. Vul- garis iam plane sum & frigeo, dum hæc ego vobis.

Quid enim vos hic latet mus *εἰρήνικος*? ab simula- tione est, quicquid huius est aut dissimulatione, aut similitate etiam & verius. Quid consilij? indicat id Erasmus. suo Indice: speculum obijcit; vos nisi cæ- cutire à vobis vultis perpetuum, speculamini in spe- culo

culo obiectum, quid abs re, quid in rem, quid in per-
 niciem fiet. Nec vmbra tamen in speculo solum
 propositam esse putetis; rem ipsam, gesta, gerenda,
 facta, futurâ intuemini in speculâ omnia constituta.
 O miseros; non hæc vos intueri, vnde liberos, vnde
 patriam, vnde libertatem tueri potestis? supplicem
 patriam, supplicem pacem, supplices vobismet vos
 ipsos non respicitis? quod vobis precamini, quod â
 vobis petitis, cur iisdem vobis negatis? O Germanos
 iam non Germanos; qui tam ab re abierunt, cur no-
 mina seruant? En Germani sint, & plus quam hostes
 dissideant? & hoc quod hostem iuuat? Tandem que-
 sumus nebulam dispellite oculis fascinum auferte,
 & veritatis facem, pacis lucem ipsi vobis præluce-
 te. Rogat patres tuos patria, rogat Germanos Germa-
 nia: Pacem. nimis iam nimio murem, è latibulis ex-
 cutite; neque hunc Erasmus, ducem duces spernite;
 ne negligite Principem Irenicum Principes in Ireni-
 cum Consilium conscripti.

FINIS.

Handwritten text in a medieval script, likely Gothic, is visible along the left edge of the page. The text is partially obscured and difficult to read due to fading and the angle of the page. Some legible fragments include "ca", "ni", "pa", "pa", "ip", "Ac", "in", "m", "o", "u", "s", "r", "a", "m", "c", "n", "u", "m".



Handwritten text at the bottom of the page, possibly a library stamp or inventory number, including the number 2378.



PC 4439

ULB Halle
004 788 443 3



1077

n. 5







GAL

GAL

ER

AD C

Apuc

CICA

VM,

VMQVE

collegit.

Adhortatio.

NEM.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue